



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 5. De Religione Græcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

nali, ob Indictionem Constantini, cuius initium cecidit in 23. Septembris. Numerant annos suos ab ortu mundi non à Christo nato, & anno mundi 5508. Christum ortum esse arbitrantur, itaque hunc annum Christi 1647. numerant annum mundi 7155. Si nuptias cum Turcâ contrahant perpetuò excommunicantur; si cum Latino, ad tempus aliquod duntaxat. In funebribus pompis salgamata, & vinum offeruntur adstantibus; fœminæ sibi vellunt capillos, ora lacerant, multis cum singultibus vulantes. Viduæ teto anno carent publico, & neque vestem, neque indusum mutant. Armis ferè Græci carent, & tantum mechanicas artes exercent, aut nauigationibus vacant, in quibus peritissimi iudicantur.

§. 5. *De Religione Græcorum.*

RITV à Latinis differunt, secundum quem administrant legiti-
mè omnia quæ ad Dei cultum, & Sacraenta pertinent: in pane
fermentato consecrant, & calidam infundunt Calici, in memo-
riam calantis sanguinis Christi. Laici sub vtrâque specie commu-
nicant. Sacerdotes seruant vxores suas, & iis vtuntur ad prolem;
repudiatiâ vxore iustâ de causa Laici alteram superinducunt: ter-
tiæ nuptiæ, seu τετραπλά grauissimis pœnis prohibetur. Comam
alunt Sacerdotes, & barbam: ita muniunt se signo Crucis, ut ma-
num à dextra parte promoueant ad sinistram, contrario Latinis
more; aliqui & in dextrâ, aut sinistrâ hærent, neque Crucem ab-
soluunt, ut innuant Spiritum Sanctum à Patre solo procedere. Die
Mercurij, & Veneris abstinent carne, piscibus, & butyro; sed pa-
nè, herbis, & oleo tantum vtuntur. Calogerî etiam his diebus
oleum non gustant: quadruplicem seruant Quadragesimam, pri-
mam à Sexagesima ad Pascha quam Magnam vocant; secundam SS.
Petri, & Pauli, ab octauâ Pentecostes ad festum eorum Sancto-
rum; Tertiam, B. Virginis ab initio Augusti ad Assumptionem:
Quartam S. Philippi, à festo eius Sancti qui incidit in 14. Nouem-
bris ad Natalitia Christi. Calogerî, seu Monachi magnæ hæc vene-
rationis, ex his tantum Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos
eligunt. Homines hi duriter viuunt, & labore manuum, ignari ma-
gnâ ex parte, sed subdoli, & vafri: seniores patres, iuniores filios
appellant; pauci inter eos Sacerdotes. De aliis eorum ritibus le-
gantur Crusius in Turco-Græciâ, Cotouicns, & alij.

L 11 iii